

QUID

DE RECTI PRAVIQUE DISCRIMINE

SENSERIT KANTIUS

H.F.u.f. 79. (24.4)
QUID

DE RECTI PRAVIQUE DISCRIMINE

SENSERIT KANTIUS



THESIM

PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARIENSI

A. MASTIER

Scholæ normalis olim alumnus, in eadem facultate jam licenciatus.

Moral predigen ist leicht, moral begründen
schwer.

SCHOPENHAUER.

PARISIIS

APUD AUG. DURAND, BIBLIOPOLAM,

VIA DICTA DES GRÈS, 7.

—
1861



H. F. M. 2. 20. 1. 2. A. H.

DE RECHT VAN VRIJHEID

DE RECHT VAN VRIJHEID

DE RECHT VAN VRIJHEID

DE RECHT VAN VRIJHEID

DE RECHT VAN VRIJHEID


DE RECHT VAN VRIJHEID

DE RECHT VAN VRIJHEID

DE RECHT VAN VRIJHEID

DE RECHT VAN VRIJHEID

DE RECHT VAN VRIJHEID




MEMORIÆ
DILECTISSIMI AC DESIDERATISSIMI AVUNCULI

N. ROGER

IN COLLEGIO LUDOVICI MAGNI OLIM PROFESSORIS,
INSPECTORIS IN ACADEMIA TOLOSENSI, AC NOVISSIME ACADEMIÆ
JURASENSIS RECTORIS,

ANNI MDCCCLVII MENSE OCTOBRI VITA DEFUNCTI

A. MASTIER.



QUID

DE RECTI PRAVIQUE DISCRIMINE

SENSERIT KANTIUS

PROOEMIUM.

Omnis fere disputatio quæ de officiis inter philosophos haberi potest, in triplici quæstione versatur. Quærendum enim primum est, an sit aliqua lex, supra sensus elata, quæ, separata omni propriæ utilitatis spe et honestate tantum proposita, quid agendum unicuique sit, quidque vitandum, imperet. Quum vero satis spectatum perspicuumque factum est hominem non ad id tantum natum esse ut suis commodis inseruiat, sed ut finem quemdam alium nobiliorem sibi proponat et assequatur, honestatem scilicet, hoc quoque explanandum videtur, quid sit honestum, quidve inhonestum, vel qua ratione certa recta pravaque discernere queamus. Denique in hoc quoque ambigitur nec satis liquet : quæ causa sit cur illud quod bonum, rectum, honestumve vocamus, idem et nobis faciendum, illud vero quod malum vel pravam aut turpe dicimus, idem

omni ope atque opera fugiendum esse judicemus, ac tantum in se auctoritatis habeat illa lex, quam mente cernimus, ut ad se voluntatem trahat neque illius, salva hominis dignitate, imperium detrectare possimus. Quod quidem hunc in modum paucis exponam vel potius contraham : primo esse aliquid per se, quod officium vocamus, deinde quid sit officium, denique cur quidquam et nobismetipsis et cæteris officii titulo impositum sit, demonstrandum est.

DE HONESTATE APUD KANTIUM, QUANTUM DISTET VEL A PROPRIA
GUJUSQUE, VEL A COMMUNI OMNIUM UTILITATE.

Fuere et apud veteres et nostra quoque ætate philosophi, qui hominem, ut cætera animantia, ad nihil aliud nisi ad voluptatem vel felicitatem natum esse contenderunt. Cum enim animalia, rationis expertia, instinctu quodam cæco ad sequendam voluptatem et ad vitandum dolorem impellantur, hominem pariter, rationis participem, ea facultate ad id tantum uti debere, ut sibi quam beatissimam vitam efficiat, id est ut quam maxima oblectamenta comparet, quam plurimis fruatur deliciis, et dolorem, quantum vivendi conditio patitur, declinet, arbitrati sunt; illumque peritissimum voluptatum aucupem vere sapientem esse finxerunt. Hinc oriri omnia officia, eo tendere omnes virtutes prædicaverunt.

Quæ quidem doctrina quam vana sit, quam parum humanæ naturæ accommodata, satis docuerunt plurimi philosophi, tum veteres, tum receptiores, et quidquam adjicere difficile ac prorsus inutile esse videtur. Constat enim in cujusque hominis pectore, quantiscumque vitiis depravatus deformatusque sit, generosiores vigere affectus natura insitos, qui non ad comparandam voluptatem, aut quietem, aut felicitatem spectant, nec etiam ad salutem asservandam; quibus contra incitati, voluptatem, quietem, felicitatem, vitamque nostram parvi admodum facimus, ut liberorum, conjugum, parentum, amicorum vel commodis, vel saluti consulamus. Inde manifestum satis est hominem non ita esse constitutum atque talibus affectibus quasi ornatum ut, se ipsum solummodo amet, sui tantum causa vivat, sibi que soli provideat.

Generosos autem illos affectus, quos modo pietatem, modo amorem, modo amicitiam, modo benevolentiam et caritatem vocant, quique sunt quasi societatis humanæ vincula, num, ut quidam crediderunt, honestatis fontem atque originem esse dicemus, unde omnia officia juraque, omnes virtutes manare videantur? Minime. Nempe, etsi plerumque ad bene recteque agendum nos impellant, accidit interdum ut, si illis tantum ducamur, male agamus. Quis enim nescit multos fuisse qui non modo culpas sed etiam scelera, amicorum vel liberorum

gratia, admiserunt? Quid est præclarior quam patriæ amor? Quo tamen tot bella iniqua, tot fraudes, tot in cæteras gentes injuriæ, tot cædes sceleratissimæ evenerunt. Quod si etiam totius generis humani utilitatem persequaris, fieri tamen potest ut quod utile judicaverint homines, id est quod cupiant, quodque utile esse tu ipse censueris, minime cum humana dignitate congruat. Præterea quid in se habet communis omnium utilitas ut illam per se sanctam ac laudabilem ducamus? Ergo et norma quadam opus est, ut affectus nostros regamus, nedum ab illis rectam agendi rationem haurire queamus; et communis utilitatis studium ea tantum conditione fit laudabile, si cum honestate congruat, nedum honestatis fontem ac principium habeamus.

Inest autem in omnium mentibus insita quædam notitia, et, ut ita dicam, species boni rectique, quæ nobis quid agendum, quidve vitandum sit, vel contra voluptatis illecebras, vel contra utilitatis nostræ curam, vel contra benevolentiam ipsam caritatemque summa cum auctoritate imperat. Hæc est ratio, quam justitiam vel æquitatem vocamus, quam intellectu tantum cernimus, quasi supremum rerum humanarum ordinem. Hæc est vera lex generis humani, hæc norma ad quam non tantum mores privatorum, sed et leges civitatum informantur necesse est. Hinc officia, jura, virtutes oriuntur; quam si sustuleris, illa omnia jam nulla sunt.

Nempe neque prudentia neque fortitudo, si justitia carent, veræ virtutes dici possunt, sed potius una calliditas, altera audacia, quas sæpissime homines scelestissimi usurpant.

Quam quidem doctrinam, a veteribus philosophis, præsertim a Platone, a Stoïcis, a Marco Tullio adumbratam præclare admodum absolvisse mihi videtur Kantius, in iis libris quibus titulos inscripsit vel *Constitutio metaphysicæ morum*, vel *Critica rationis practicæ*. Nullus enim philosophus quantum inter officium et felicitatis studium intersit, tam liquide demonstravit, tam vivide expressit, tam claris et quasi insignibus exemplis illustravit; ex quibus unum referre satis erit : « Is qui lusu *victus* est sibimetipsi quidem poterit de imprudentia sua succensere; sed si, *fraudè* se in lusu usum esse (quanquam ea lucratum) sibi conscius sit, se ipsum *despiciat* necesse est, simul atque se cum morali lege comparaverit. Hanc igitur sane aliud quiddam esse oportebit, quam principium propriæ felicitatis. Etenim qui seipsum sic alloqui cogitur : Ego *homo* sum *nihili*, quamvis crumenam opleverim, is aliam judicii normam habeat, necesse est, quam qui sibi ipsi applaudere potest et de se profiteri : Ego *homo* sum *prudens*, si quidem rem meam familiarem auxi et amplificavi (1). » Nec

(1) *Critica rationis practicæ*, ex translatione Frederici Gotlob Born, t. III, p. 28. Vid. J. Barni, *Critique de la raison pratique*, p. 186-187.

tantum exempla refert quibus officium et felicitatis studium discernere queamus, sed etiam alterum ab altero propriis, ut ita dicam, notis distinguit. Quod enim justum est, cuique injungere atque ut legem imponere possumus; quod autem utile est, ut faciat, tantummodo suadere. Etenim, si ad justitiam respicias, jubere, imperare licet; si ad felicitatem, solummodo adhortari. Quod quidem sic expressit Kantius: « Regula subjec- » tiva philautiæ (prudentiæ) *suadet*; lex moralitatis » *imperat*. Permagnam tamen discrimen intercedit in- » ter ea, quæ nobis suadentur, atque ea ad quæ nos obli- » gati tenemur (1). » Præterea quidquid justitiæ nomine unicuique hominum injunxerimus, idem et cæteris injungamus necesse est; quod autem mihi utile futurum esse censeo, non ideo cæteris utile erit; quæ me felicem reddunt, non ideo cæteros reddant felices oportere arbitror. Quippe felicitas ex studiis, cupiditatibus affectibusque constat, quæ omnia cum tempestatibus, locis ac singulis hominibus mutari solent. Ergo si felicitatem tanquam supremum vitæ finem hominibus proposueris, nulla demum lex erit universa, quæ omnes homines iisdem præceptis informare nec vinculis iisdem vincire possit.

Sunt et alia quæ adhibuit Kantius ut justum et utile omnino inter se discrepare ostendat. Unum illud tan-

(1) F. Gotlob Born, *Critica rationis practicae*, t. III, p. 27.

tummodo referam. Quid sit rectum, dummodo quisque paululum animum advertere velit, facile intelliget; quid sit utile, ut quis noverit, plerumque acutissimo ingenio et diuturnâ conjectura, imo longo vitæ usu multaque rerum experientia opus est: « Quid secundum principium autonomiæ arbitrii, ait Kantius, faciendum sit, quisque ex infima plebe homo facile perspicit; sed difficulter intelligitur multamque cognitionem requirit, quid sumpta arbitrii heteronomia faciendum videatur; hoc est, quid in *officio* sit, cuique sponte se offert; quid vero verum et duraturum commodum afferat, semper est, si ad totam existentiam debeat extendi, atra caligine obvolutum, multaque prudentia opus est, ad regulam practicam ad id institutam exquisitis exceptionibus vel saltem tolerabili modo vitæ finibus aptandam. Nihilominus lex moralis cuique imperat, et accuratissimum quidem obsequium. Quamobrem ad id quod faciendum sit, dijudicandum, non tam difficile erit, quin ingenium vel maxime vulgare atque inexercitatum, vel omni prudentia destitutum, queat in eo versari (1). » Quanquam autem nonnullam erroris partem in his Kantii verbis deprehendere licet, quum tam facile intelligi posse contendit, quid sit rectum, nemo tamen dubitabit quin multo facilius quæ recta sint,

(1) *Critica rationis practicæ*, F. G. Born, t. III, p. 27.

quam quæ sint utilia, plerumque dignoscere queamus.

Alia ex parte, quanquam, si officio parere volumus, sæpe ad id adducimur, ut cæterorum hominum vel utilitati, vel felicitati consulamus, non ideo benevolentiam vel totius humani generis caritatem esse communem officiorum virtutumque originem noster arbitratur. Quod tamen non satis perspicue illustravit; quippe qui omnes, de quibus jam diximus, affectus, cum ab officii ratione sint alieni, in istum amorem, quo unusquisque se ipsum diligit, cogere videatur. In quo minime dubium est quin erraverit (1).

Sed alii sunt subtiliores, ut ita dicam, sensus, ex quibus recentes quidam philosophi omnia officia et jura, omnesque ideo virtutes oriri disputaverunt. Fit enim sæpe ut si quid fecerimus, intima quadam et peculiari fraamur voluptate, aut contra conscientiae stimulis exagitemur. Sed neque ex illis sensibus officia juraque velut e fonte manare posse optime demonstrat Kantius, quum neque hunc dolorem, neque illam voluptatem nemo intus percipere possit, nisi prius quid honestum, quidve inhonestum sit, noverit. Ait enim: « Subtilior quidem, quanquam pariter falsa, eorum sententia est, qui certum quemdam peculiarem sumunt sensum moralem qui, non vero ratio, legem moralem determinet,

(1) *Critica rationis practicæ*, F. G. Born, t. III, p. 27. *Critique de la raison pratique*. J. Barni, p. 181.

secundum quem conscientia virtutis proxime cum tranquillitate et voluptate, sed turpitudinis conscientia cum perturbatione animi ac dolore conjuncta sit, atque ita omnia in propria felicitate ponunt expetenda. Ut, quæ supra dicta sunt, hoc loco mittam, mentionem modo faciam illusionis in ea re. Ut turpis et scelestus qua perturbatione animi vexatus possit ex conscientia delictorum depingi, necesse est, quoad præcipua ingenii initia, jam antea, certe quodam gradu, moraliter bonum ostendant, quemadmodum eum, qui conscientia recte factorum oblectatur, jam antea virtutis studiosum. Ergo conceptus honesti (moralitatis) et officii omnem hanc tranquillitatem antecederet, necesse fuit, neque ullo modo ab hac poterit derivari. Atqui gravitas ejus quod officium vocamus, auctoritas legis moralis, et dignitas proxima, quam observatio illius homini ex sua ipsius sententia impertit, antea æstimanda erat, ut illam tranquillitatem in conscientia convenientiæ suæ cum ea lege, severamque reprehensionem ex violata lege perentisceres. Ergo non poterit ea tranquillitas quiesve animi ante agnitam obligationem sentiri, eaque causa fieri hujusce obligationis. Certe in via quasi media vir probus sis atque honestus, oportebit, ut de iis animi motionibus vel modo queas cogitationem tibi informare (1). »

(1) Vid. F. G. Born, *Critica rationis practicæ*, liv. 1, ch. 3.

Quum autem omnes sensus illos removerit, amorem scilicet, quo quisque sibi indulget, et benevolentiam quæ nos cæteris jungit atque devincit, ac denique illum dolorem, illamque voluptatem, quæ ex prava vel ex bona conscientia nascuntur, illam animi partem quam rationem appellamus, quæque a Græcis *νοῦς* vocatur, fontem ac principium officiorum ducat necesse est; et quidem merito. Ratione enim non modo quid verum aut falsum, sed etiam quid rectum aut pravum in vita sit, cernimus, et quum justitiæ vel æquitati paremus, officisque fungimur, nihil aliud quum rationem ipsam ducem sequimur. Hanc igitur quæstionem, quæ de officiis tractanti prima occurrit, præclare absolvisse Kantius mihi videtur.

DE DISCRIMINE PRAVI RECTIQUE APUD KANTIUM.

Attamen non tantum rationi, tanquam supremæ generis humani legi, obtemperandum esse demonstret noster, sed quid imperet illa lex, quid vetet, constituat necesse est, ut quid sit rectum, quid non, dijudicare possimus. Verum de hac re inter doctos quam plurimum ambigitur, et philosophi, ut Flacci verba usurpem,

..... certant et adhuc sub iudice lis est.

Alii enim nescio quam animi partem ac veluti sensum interiorem evocant, quam plerumque appellant conscientiam, quæ, sicut oraculum, ut res tempusque postulat, responsa edit et unicuique quid sit agendum declarat. Alii autem summa quædam præcepta, et, ut ita dicam, principia penitus in omnium mentibus insita esse sibi finxe-

runt, ex quibus, ratiocinatione certa usis, ea quæ facere debemus veluti consequentias colligere nobis licet. Alii vero ex ipsa hominis natura perspicui posse contendunt, quem ad finem a supremo mundi auctore creati fuerimus, atque inde, quæ lex nobis fuerit imposita, quæ officia, quæ virtutes, manifestum fieri.

At inter illos, qui, hanc quæstionem exsecuti, nodum exsolvere tentaverunt, eminent Kantius. Quippe qui arte nova hanc controversiam agitaverit, multosque ad suam doctrinam abduxerit. Itaque quid de hac difficili quæstione senserit præclarus ille philosophus, quæ sit in illius doctrina pars veri, quæ sit falsi, quærere, ac, si possum, explanare, operæ pretium esse mihi visum est.

Quid facere aut quid non facere debeamus, quæ sit suprema illa lex, ad quam mores privatorum informandi ac leges civitatum constituendæ sint, quid sit rectum, quid non, quæ denique sint officia, neque ex rerum humanarum experientia, neque ex vitæ usu ullam discernendi rationem hauriri posse contendit Kantius. Etenim si generis humani annales revolveris, æqua et iniqua juxta invenies; quod si altera ab alteris dignoscere velis, rationem dignoscendi prius habueris oportebit, nedum inde sumere tibi liceat. Imo vero non quæ fuerint acta, sed qua de causa et quo proposito, quum de virtute ac de moribus agitur, refert. At si res ipsas hominumque gesta consideremus, nusquam quid-

quam recte factum deprehendemus; id enim quod factum est, tantum patet; qualis autem fuerit intus hominum in agendo mens ipsa, nunquam apparet. Ideo si quid unquam recti justique exstiterit, neque si alios attente spectamus, neque si in nobismetipsis introspicimus, compertum habebimus. Adde quod lex illa, quæ hominibus officia injungit, non homines tantummodo, sed omnes, ut ita dicam, voluntates, si quæ aliæ alicubi sint, naturas scilicet mente et arbitrio præditas, regere debet. Itaque hominis naturam scrutari prorsus inutile foret, ut quæ sit illa lex cognoscere queas. Hunc in modum rem Kantius explicuit: « Quisque fateatur, necesse est, legem, si moraliter, id est ut ratio obligationis valere debeat, necessitatem in se cohibere absolutam oportere; præceptum: Noli mentiri, haud fere solum ad homines valere, quod vero naturæ aliæ rationales haud curare debere; rationemque proinde obligationis hic non in natura hominis temporibusque mundi, in quibus constitus sit, quæri debere, verum ex anticipatione tantummodo in conceptibus rationis puræ, et quodque aliud præceptum, in principiis solius experientiae constitutum, atque etiam præceptum quodammodo universale, quatenus ex minima parte, fortasse modo quoad momentum, in rationibus empiricis nitatur, regulam quidem practicam posse, nunquam vero legem moralem appellari. Ergo leges morales, cum principiis

suis, in omni cognitione practica a cunctis reliquis, in quibus quodpiam empirici inest, non solum essentialiter distinguuntur, verum universa philosophia moralis posita prorsus est in parte pura, ad hominemque adhibita, ne minimum quidquam ab ejus cognitione (anthropologia) mutuat, sed leges ei, ut naturæ rationali, dictat ex anticipatione... »

Quomodo igitur illius legis notitiam assequi poterimus, quum illam neque ex vitæ usu, neque ex experientia rerum humanarum, neque ex humanæ naturæ cognitione deducere liceat ?

Illum autem nodum solertissime expedit Kantius. Justitia propriam quasi notam habet. Quemadmodum enim si quid cuiquam verum est, idem et omnibus verum sit, necesse esse ducimus; sic quidquid justum est, illud non uni aut alteri, sed omnibus hominibus, imo vero omnibus voluntatibus, ut ex kantianis verbis aliquid retineam, justum sit oportet. Justitia, sicuti veritas, semper eadem est, nec cum locis, tempestatibus ac singulis hominibus mutatur. Quod cum animadvertisset Kantius, ex eo, quid faciendum cuique sit, quid non, quolibet tempore et loco, discernendi rationem expressit. Quia enim, quod cuique agendum est

(1) F. G. Born. *Constitutio metaphysicæ morum*, t. II, p. 258. J. Barni, p. 8.

idem et omnibus agendum fit, quum in eo est homo ut aliquid agat, hoc anquirere debet, utrum omnes idem agere velit. Quam quidem sententiam his verbis noster significavit : Sic agas semper ut hanc rationem sequaris quam ab omnibus usurpari velle queas (1). Id est supremum præceptum atque. ut ita dicam, summa formula, qua omnia continentur officia, quaque omnia, in quovis rerum articulo, explicari ac definiri queant. Qua qui ornatus fuerit, omnes errores refellere, omnes resolvere ambiguitates, omnes denique expedire difficultates potest. Quod quidem præceptum exemplo liceat explanare. Amico, verbi causa, egenti quum ipse propter egestatem succurrere non valeam, scire velim utrum mihi fas sit aliquid vel diviti detrahere, ut habeam unde amico illi opitulari queam. Tum me ipsum interrogo, utrum omnes homines aliquid furari velim ut amicos ab inopia defendant; cumque tale aliquid nullo modo probare queam, illam agendi rationem tanquam pravam esse abjiciendam apparet.

Quum quidem illud præceptum instituerit, quo omnia hominum et erga se ipsos, et erga alios officia, quibuslibet temporibus et locis, definire possimus, omnino tamen se dissidere affirmat Kantius ab iis qui hæc vulgi

(1) « Nunquam aliter agere debeo nisi ita ut etiam velle possim ut » regula mea lex universalis constituatur. » F. G. Born. Constitutio metaphysices morum.

præcepta tanquam morum legumque principia adhibent : quod tibi fieri nolis ne alteri facias ; quod tibi vis fieri, cæteris facito. Quod quidem duplex præceptum, neque omnino officia cujusque in semetipsum, neque cuncta cujusque erga cæteros amplecti contendit. Si ad officia cujusque in semetipsum spectas, satis liquet ; sin autem mutua hominum inter se consideras, argumento opus est. Ait autem Kantius duo esse cujusque in alios officiorum genera, quæ altera ex justitia, altera ex caritate aut benevolentia oriuntur. Hæc non ex illo præcepto pendere colligit, cum quidem multi sint homines, qui aliorum beneficiis carerent libenter, ne sibi quando beneficia in alios conferenda sint. Sed hic in errore versari Kantius mihi videtur. Non enim ea lege alios adjuvare debemus ut rursus ipsi adjuvemur. Hæc vero præcepti vis est : Finge te ipsum in aliorum loco esse, et quid tibi fieri velles, si res se ita haberet, scrutare ; tum illud omni ope atque opera enitere ut erga alios facias. Quocumque autem animo in rebus prosperis simus, cum in adversas incidimus, auxilium cupiamus necesse est. Illud vero satis est ut intelligamus quo munere erga alios fungi debeamus. Sed gravius aliquid Kantius adjecit, quum illa quoque officia, quæ ex justitia ipsa nascuntur, quæque a quibusdam philosophis summa et necessaria vocata sunt, non ex illo præcepto deduci posse contendit : homo scilicet nequam, ait, ex isto præ-

cepto haberet, unde culparet judicem, quum ille pœnas ab ipso exigeret. In quo optime judicat.

An ideo duplex illud præceptum, quo mutua hominum inter se officia plerique includunt, inutile esse ducemus. Minime quidem. Nempe quotidie mentem et ad justitiam, et ad benevolentiam caritatemque revocat. Quin etiam optime copiam discernendi facit quid cuique debeamus, cum nobis injungit ut nos in eodem loco, quo cæteri, esse fingamus. Quippe quid alii nobis debeant, quam quid nos aliis, multo facilius cernimus. Si alienam fortunam vel aliquantisper nostram esse ducimus, non modo ambiguitates illæ, quas cuique amor sui subjicit, evanescent, sed ipsa illa nimia cura, qua quisque sibi indulget, virtus corroboratur.

Hoc plane vidit acutissimi ingenii philosophus, Leibnitzius, qui dixit : « Quant à la règle qui porte qu'on ne doit faire aux autres que ce qu'on voudrait qu'ils nous fissent, elle a besoin non-seulement de preuve mais encore de déclaration. On me dira qu'elle ne s'entend que d'une volonté juste, mais aussi cette règle loin de servir de mesure en aurait besoin. Le véritable sens de la règle est que la place d'autrui est le vrai point de vue pour juger équitablement, quand on s'y met (1). »

Nunc vero supremum illud præceptum quo et pro-

(1) Nouveaux essais sur l'entendement humain, liv. I, ch. II, § 4.

pria singulorum in se ipsos officia, et communia omnium erga omnes explicare tentavit Kantius, consideremus.

Hoc primum in kantiano præcepto reprehendam, quod ambiguum est. Quid enim hoc verbo, *velle*, significatur? Utrum enim de simplice, atque, ut ita dicam, de mera, an de recta voluntate agitur? Utrumque paululum scrutemur.

Si ad rectam voluntatem spectat Kantius, præceptum, quod doctrinæ de honestate principium edidit, prorsus est inutile. Illud enim sic vertere possumus: sic agas ut tuam agendi rationem tanquam rectam cæteris imponere queas. Tum vero litem ipso lite resolvit, vel eo erroris genere, quod dialectici principii petitionem vocant, sane decipitur. Nempe quid sit rectum prius noverimus necesse erit, quam illo utamur præcepto, nedum ex illo ediscere possimus.

An autem de mera ac de simplice voluntate loquitur? Sed quid est voluntas citra omnem rationem, omnemve affectum? Nihil sane quod intelligi possit. Quid igitur hoc verbo, *voluntate*, significare voluit Kantius, nisi cupidinem? Tum kantianum præceptum sic enuntiari potest: Hanc vivendi normam sequere, quam a cæteris adhiberi cupias; quum ergo jam in eo es ut aliquid agas, te ipsum interroga utrum cupias omnes homines idem agere. Si tale aliquid cupis, facere, quod

tibi proposueris, fas erit, nempe nihil peccabis; sin autem contrarium cupis, abstineas necesse est.

Quam quidem sententiam satis explicat Kantius; quippe qui animadvertat, quum quis aliquid male agat, ut cæteri idem agant, nullo modo illum cupere. Nullus enim est fur qui omnes homines furari cupiat; et si quis aliquando mentitur, vel plerumque mentiri solet, non ideo omnes homines mentiri velit.

Hanc quidem doctrinam argutam esse et subtiliter excogitatam non negabo; falsa tamen esse mihi videtur. Nempe multa sunt e nostris officiis quæ ex illa non constant. Sumamus, verbi causa, hominem quem vitæ tædeat (hoc enim exemplo utitur Kantius), sed tamen ita sui compotem, ut quærat an fas sit sibi mortem consciscere. Tum secum consultabit an cupiat omnes sibi manus afferre, quum illos vitæ pertæsum fuerit. Sed quid consilii inde capere poterit? Nihil sane. Nulla enim causa est cur illud cupiat aut non cupiat. Sed ad aliud exemplum transeamus. Fingamus hominem lasciviæ deditum, sed apud quem aliquis tamen honestatis sensus vigeat; quæret ille quid honestius sit, utrum se voluptatibus tradat, an otio fruatur, ut suum ingenium suasque dotes excolat. Se ipsum igitur, kantianum præceptum usurpans, interrogabit num omnes homines hac agendi ratione uti cupiat. Sed non satis liquet quid talis homo, in tali rerum articulo, debeat cupere; nec

firmam ac manifestam vivendi normam inde [sumere licet. Multa autem alia sunt exempla ejusdem generis, quæ supervacaneum foret retulisse, quum ea sufficiant, quæ retulimus, ut quam inane kantianum præceptum sit videamus, si illud in hanc significationem acceperimus.

Sed idem illud præceptum in alio libro, quem jam indicavimus, cui titulus *Critica rationis practicæ*, aliter expressum reperimus. Hanc enim formulam adhibuit: sic age ut illam ipsam normam sequaris, quæ non tantummodo hominibus, sed omnibus naturis, si quæ sunt alicubi incorporales, quæ mente et arbitrio fruuntur, lex universa injungi possit. Vox autem, de qua maxime ambigebatur, *velle* scilicet, nunc abest. Sed nova illa præcepti forma multas ac varias interpretationes accipit. Hanc enim primam conjecturam facere licet: si quis in eo est ut aliquid agat, cum utrum recte acturus sit, necne, scire velit, sic a se ipso sciscitabitur: si omnes homines, imo vero, si omnes, ubicumque et qualescumque sint, naturæ mente et arbitrio præditæ idem agerent, num illud ipsum quod agere volo rursus agi posset? Si igitur idem vel ab omnibus agi potest, rectum est; sin autem non potest, nefarium habeatur. Quam quidem interpretationem Kantius adhibet: « Nonnullarum actionum, ait, ea ratio atque natura est, ut norma earum sine pugna ut lex universalis ne *cogitari* quidem posset; tan-

tum abest, ut præterea *velle* queamus, eam fieri talem *debere* (1). » Eundem fere in modum sententiam suam iterum explicat, quum hoc scrutatur an fas sit aliquando promissa exuere. Sic enim disserit : si omnes homines, propriæ utilitatis causa, fidem frangere sibi licere arbitrarentur, quid foret promisso quoquam ineptius, quid magis ridiculum? Promissum nempe non jam fieri posset, quia nemo nemini crederet. Illud autem, quod, si ab omnibus factum foret, non jam fieri posset, malum injustumque est; quod autem fieri potest, vel si ab omnibus adhibeatur, legitimum haberi debet. « Tum mox intelligo, inquit, me quidem mendacium posse, non vero legem mentiendi ullo modo expetere; si quidem ex tali lege proprie nullum omnino promissum exstaret, quoniam frustra fieret, si respectu actionum mearum voluntatem meam aliis declarassem, qui tamen isti declarationi nullam fidem tribuerent, aut si per præcipitantiam hoc mihi concederent, par pari mihi referrent, *proinde regulam meam, si lex ea universalis evaderet, se ipsam, necesse esse, eversuram* (2). » Quod quidem alio exemplo illustravit : « Velut legem mihi privatam constitui, ut rem familiarem quibuscumque modis indubitatis augerem. Jam in ma-

(1) Constitutio metaphysicæ morum. Born, t. II, p. 299. Barni, p. 62.

(2) Constitutio metaphysicæ morum. Born, p. 274-275. J. Barni, 29.

nibus meis depositum est, cujus possessor mortuus est, nullo chirographo illius relicto. Id quod per se ad legem meam quadrat. Jam solum scire aveo an illa lex privata etiam lex queat practica universalis valere. Igitur eam illam ad causam præsentem transfero, quæroque an formam ea legis recipere possit, proinde per legem meam privatam simul esse ejusmodi lex queat, qua cuique liceat, depositum negare, quod creditum esse nemo probare potest. Continuo animadverto ejusmodi principium, qua legem se ipsum sublaturum fore, propterea eo *efficeretur, nullum omnino depositum esse*. Lex practica, quam qua talem agnosco, ad legislationem universalem, necesse est, idonea sit. Hoc pronunciatum est ex se connexum ideoque per se clarum ac manifestum. Si igitur voluntatem meam subesse dicam legi practicæ, non potero inclinationem meam (verbi causa in hoc casu avaritiam meam) qua rationem illam determinantem legi practicæ universali idoneam adducere; tantum enim abest ut hæc ad legislationem universalem idonea sit, ut potius in forma legis universalis se ipsam tollere necesse esse videatur (1). »

Hunc igitur in modum, summum illud præceptum quod omnia judicia continere judicat, plerumque inter-

(1) F. G. Born, *Critica rationis practicæ*, t. III, p. 15. — J. Barni, p. 168-169.

pretatur Kantius. Attamen non hac nova interpretatione omnia hominum officia perspicua facere potest. Unum aut alterum exemplum referre satis erit. Nempe omnes homines si adulterentur, num ideo adulterium fieri non posset? Promiscue sane ac turpiter viverent, nihilominus continua inter adulteria viverent. Quod si consuetudo foret inter homines, ut duo tantum liberos, vel tres ad summum alerent, cæterosque, si qui nascerentur, fame necarent, quo meliori magisque luculento cultu, quos servatos haberent, possent educare, nonne id facinus, etsi ab omnibus patrari soleret, iterum et sæpius fieri nequiret? Multa sunt sane alia exempla quibus kantianam de illa re disciplinam refellere perfacile esset.

Sed superest kantiani præcepti interpretatio altera, quam ipse aliquando videtur usurpare. Illud enim in hanc significationem accipere licet : quum jamjam aliquid acturus es, quære a te ipso quid de tua natura fieret, si eandem agendi rationem omnes sequerentur. Itaque quum de hominibus agitur, quid de societate generis humani fieret quærendum est, si quam tibi ipsi vivendi rationem usurpare velis, hæc in consuetudinem omnibus verteret et in legem universam. In hunc autem modum expressam Kantii sententiam multo uberiorem esse fatendum est. Attamen multa in illa claudicant. Nempe non omnibus voluntatibus, ut hominibus,

norma valet; rerum etiam cognitionem, quæ experientia continetur, requirit; denique non omnia confirmat officia, imo et quædam, ut prava, quamvis sint omnino legitima, damnare videtur. Fac enim, verbi causa, omnes homines conjugium detrectare, quid de humano genere fieret? Num tamen nemini cælibem vitam agere, salvo jure, licebit?

Quam sit igitur ambiguum kantianum illud præceptum, quam inutile ad explicanda hominum officia, satis manifestum fecisse credimus. Et quidem legitima argumentatione usi sumus, quum illa quæ vulgo ac sine ulla controversiâ habentur officia induximus, ut inde appareat, quam falsa Kantii doctrina de discrimine recti pravique judicanda sit. Nempe non novam morum disciplinam novaque officia afferre tentavit noster, sed fundamenta morum, quæ omnes obscuro sensu percipiunt, philosophia illustrare. Philosophus enim non plura quam vulgus, quum de officiis agitur, scire potest, sed tantummodo dilucidius. Ea causa est cur illa quæ ab omnibus habentur officia adhibuerit, ut quod edidit præceptum comprobet ac tueatur. Sed ut ea officia explicet, præceptum ipsum fraudet, aut diversis modis commentetur, aut ad rationes, quæ ex illo minime constant, confugiat necesse est. Quin etiam ipsam præcepti ambiguitatem in utilitatem vertit. Sed ipsa exempla repetamus, ut illud, quod in kantiana doc-

trina reprehendimus, omnino faciamus manifestum.

Hoc primum considerat, utrum sibi manus afferre fas sit; sic autem de istius modi nece argumentatur: si quis, quum illum vitæ pertæsum est, mortem sibi consciscere decreverit, ille sui ipsius amore impulsus est. Sed quo tendit ille amor in omnium mentibus insitus, nisi ad id, ut homines suæ ipsorum vitæ consulant? Qui autem vitæ finem sibi facere tentat ipso illo affectu, quo vitam natura tuetur, nonne a natura, id est a se ipso ideoque ab ipsa ratione dissidet? Ergo nemini vitam voluntaria morte finire fas est, quia ab eo fine quem natura homini simul ac cæteris animalibus proposuit, desciscere videatur. Sed nunc quo cessit illud præceptum, quod tam subtiliter et tanta cum difficultate expressit Kantius? Cur illud jam ut hanc disceptationem discutiat, non adhibet? cur ad aliud præceptum confugit, finem scilicet quemdam natura hominibus esse impositum? Sed hoc novum præceptum argumentis confirmare operæ pretium erat; nempe per se non ita est manifestum. Quod tamen omisit Kantius.

Sed cum sibi mortem afferre aliquis tentat, num ille ideo cum natura, cum se ipso, cumque ratione pugnare atque absurde agere dici potest? At contra, omnino sibi constat. Quis est enim iste amor sui, qui in quibusque viget, nisi ipsius felicitatis amor? Quum autem aliquis infelix et vita quasi graviori onere opprimitur,

si vitam propria manu finire conatur, nonne felicitatem, aut potius quietem atque infortunii finem valde quærit? Nonne amorem sui sequitur et sibi omnino constat?

Verum hoc quoque animadvertere sane refert. Quum illud nobis injungere videtur Kantius, ut finem, quem sibi natura proposuerit, sequamur, quod prius instituit, quod comprobare omni modo enixus est, quodque tenet, ut ita dicam, mordicus, omnino deserit. Quippe qui, remota omni rerum cognitione, quæ ex experientia fit, quid agendum nobis sit, quid non, sola intellectus vi definire voluerit. Sed si nos ad naturæ finem, tanquam ad supremam vitæ normam dirigere debemus, quomodo hunc finem novisse poterimus, nisi ipsam hominis naturam, quo tendat, quid velit, prius ipsa observatione perspexerimus? Unde Kantium a prima ac præcipua sententia discrepare manifestum est.

Eundem fere in modum cæterorum cujusque in semetipsum officiorum, quæ a quibusdam latiora vocata sunt, causam exponit. Etenim non tantum sibi mortem consciscere hominibus non licet, verum etiam dotes, quas a natura sortiti sint, excolere debent. Quæ autem causa est cur ita se gerant? Hanc subjicit noster: Cum sit homo rationis particeps, omnes quas a natura sortitus sit dotes, excolere velit necesse est, quia illas ut multa in munera conferat, accepit. Sed quæ fit ut illo, quod excogitavit præcepto non utatur? Cur ad istos

naturæ, vel divinæ Providentiæ fines confugit? nisi prorsus ipse suum illud præceptum inane judicaverit. Quod sane videtur confiteri.

Sed ad illud exemplum transeamus, quo præceptum suum de illis, quæ ex benevolentia oriuntur, mutuis hominum inter se ipsos officiis comprobare tentavit. Sume felicem quemdam, qui, inter infelicissimos versatus, secum ita loquatur : Quid mea refert? Quemque ita felicem esse, ut Deo placuerit, aut ipse per se potuerit, sinam, neque illi invidebo; sed nihil ut fausta ac prospera sorte fruatur, efficiam, nec ullo modo me, quum in angustiis erit, illi ut succurram, cruciabo.

Quam quidem agendi rationem vel quum omnes homines usurparent, nihilominus stare ac vigere posse hominum genus fatetur Kantius; imo vero si res se ita haberent, melius sane eveniret quam si quis, cum sæpe misericordem generisque humani amantissimum se esse dictitet, et nonnulla etiam benevolentiae facinora edere gestiat, sæpius tamen jura hominum lædere ac pedibus proculcare non dubitet. Attamen quamvis citra misericordiam atque omnem hominum erga homines caritatem, stare humanum genus ac vigere queat, nullo modo fieri potest ut quisquam illam agendi rationem ab omnibus adhiberi velit; qui enim tale aliquid vellet, non sibi jam constaret, quum se ipsum omni defraudaret auxilio, si quando in egestatem forte incideret.

Sed tali argumentatione præceptum quod instituit Kantius, corrumpi manifestum est. Nempe ex ipsis vitæ necessitatibus omne officium pendere judicat; in quo et secum pugnare, et a sensu communi abhorrere videtur. Si quem enim fingimus, ab omnibus vitæ humanæ miseriis tutum, illum nihilominus iis, qui in infortuniis versarentur, succurrere debere ducemus.

Ergo kantiano illo præcepto, quod omni modo excusimus, neque omnia cujusque in semetipsum officia, neque illa mutua hominum inter ipsos, quæ ex benevolentia oriuntur, nec pleraque ex illis, quæ summa ac necessaria a philosophis vocata fuerunt, unde nascuntur jura hominum, explicari posse satis comprobavimus. Cum autem exempla, quibus præceptum suum illustrare et confirmare noster tentavit, inspeximus, illud suum præceptum plerumque ipsum Kantium neglexisse et ad alias rationes confugisse, in quo quidem nihil profecit, reperimus. Quod quidem satis est ut illum in ea, quam sibi expediendam proposuerat quæstionem, erravisse plane videamus.

Sed quum adeo sententia sua se implicuerit Kantius, atque, ut ita dicam, per latebras doctrinæ suæ erraverit, illius erroris originem inquirere operæ pretium est. Quam quidem satis indicatam esse in hoc loco mihi videtur: « Quod si igitur in unoquoque officio migrando ad nosmetipsos animum advertamus, inveniemus, nos

revera nolle ut norma nostra lex evadat universalis, id enim fieri non potest, sed contrarium illius potius debeat universe lex manere; sed sumimus tantum hanc nobis licentiam, ut in gratiam nostri, aut (etiam hac modo vice) in gratiam nostræ propensionis ab ea *discedamus*. Ergo, cunctis ab una eademque parte, nimirum ab ratione, perpensis, repugnantiam in propria voluntate nostra deprehenderemus, nempe certum quoddam principium objective ut legem universalem necessariam esse, et tamen subjective haud universe valere debere, sed exceptiones concedere. Tum autem actionem nostram primo ex parte voluntatis rationi prorsus consentaneæ congruentisque, tum vero deinde quoque eandem actionem ex parte voluntatis per propensionem pulsæ adfectæque consideremus, reapse hic nulla repugnantia apparet, sed sane quidam renisus propensionis contra rationis præscriptionem (antagonismus), quo universalitas principii in solam generalitatem mutatur, qua principium practicum rationis norma que debet in via dimidia convenire (1). »

Id enim ex hoc loco deprehendimus, duplicem scilicet esse in quovis rerum articulo agendi modum; etenim vel cupiditatibus et affectibus parere possumus, vel

(1) Constitutio metaphysicæ morum, F. G. Born, t. II, p. 301. — J. Barni, 69.†

rationi; quod si rationi paremus, quidquid nobis imperat, cæteris injungamus necesse est, sed nihil inde sumere nobis licet ut quid sit rectum, quid non, definire queamus; quo quidem hoc tantum manifestum fit et officia quædam esse, et eadem omnibus, sed non quæ sint illa officia. Frustraigitur Kantius sententiam vexare conatur; nihil ex ea, quoties sibi constat, nisi redundantia verba exprimere potest.

Sed aliud præceptum edidit noster quo rursus omnia officia amplecti et explicare tentavit; quod quidem nunc est considerandum. Ita autem se habet : sic agas ut humanam naturam, cum in te, tum in quovis alio, semper ut finem, nunquam solummodo ut merum adjumentum, usurpes.

Hoc autem primum in illo secundo Kantii præcepto reprehendam, quod minime liquidum est. Quid est enim finis, nisi illud ipsum propter quod aliquid agimus? Sed quomodo humana natura per se finis esse potest? Hoc sane obscurum est.

Sed kantiana sententia altius repetenda est, et utraque pars præcepti separatim consideranda. Primam autem hanc esse jam diximus : sic agas ut humanam naturam in te semper ut finem, nunquam ut merum adjumentum usurpes. Quod hunc in modum explanari potest : hoc scilicet cæteris animalibus homo præstat, quod ratione et arbitrio fruitur; quas quidem dotes

cum hominis propriæ ac peculiare sint, cumque nihil in nobismetipsis melius, digniusque habeamus, ideo neque corpori, neque cupiditatibus, neque affectibus subjiendas esse intelligimus; ratione igitur cupiditates regere debemus, nedum ratio cupiditatibus inserviat, id est uno verbo rationi parendum est. Sed quid imperet illa ratio, quam tam sæpe evocat noster, nullo modo fieri potest, ut inde perspiciamus.

Si quis autem hoc præcepto utetur, in alterutram concidat sententiam necesse erit. Primum enim illud hunc in modum interpretari debet: nunquam nobis illi amori quem nobis in nosmetipsos natura ingeneravit, nec benevolentiae, qua cæteris juncti sumus, cedendum erit, at contra semper nobiscum erit colluctandum ut illum amorem, illamque benevolentiam penitus eruamus; sic enim ratione et arbitrio utemur; ea tantum conditione vere homines erimus, atque finem quem natura nobis proposuerit, assequi dignitatemque humanam retinere poterimus. Quæ quidem doctrina nihil aliud est nisi stoïcorum doctrina in pejus derivata.

Sed etiam illud præceptum in hunc diversum accipere sensum possumus: neque affectibus, neque illi studio, quo quisque in se ipsum flagrat, indulgere nefas est, dummodo cum ipsa ratione congruant: sed tum illud investigandum est, quo pacto cum ratione con-

gruant. Quod quidem inde percipi non licet, neque ad id, de quo jam diximus, præceptum nos conferre possumus, cum jam antea ipsum illud ad hunc nodum exsolvendum omnino esse inutile demonstraverimus.

Sed nunc ad alteram præcepti partem transeamus, quæ ad mutua hominum inter se officia pertinet. Quod quidem ad explicanda illa officia, quæ ex justitia oriuntur, valere fateor; quippe quæ in eo omnis constat, ut a cæterorum vita, libertate, bonis manus, aut etiam a fama linguam prohibeamus. Sed quum de illis officiis agitur quæ ad benevolentiam spectant, vanum prorsus atque omnino nullum præceptum est. Imo vero sunt alia quædam officia, quæ prioribus proxima sunt, domestica scilicet, qualia parentum erga liberos, vel liberorum erga parentes, conjugumque invicem, quæ non facile ex hoc præcepto colligas.

Ergo non magis hoc præcepto quam priori illo, quod antea scrutati sumus, quam sibi absolvendam proposuerat quæstionem, enodare Kantius valuit. Quod si ad illam quasi absolutam societatis formam respicimus, quam *regnum finium* appellavit Kantius, cuique, etsi cæteri abstineant, unusquisque nostrum omni ope atque opera, ut illam instituat, studere debet, non satis inde percipere poterimus quid sit nobis aut faciendum aut vitandum, quum, ut illam, qualis sit, animo plane fin-

gamus, quid sit rectum, quid non, antea noverimus necesse sit.

Est et tertium aliud præceptum quo omnium officiorum summam amplecti conatus est noster; quod fere in hunc modum expressit: *Sic agas ut legem cæteris voluntatibus per tuam voluntatem ipse imponere tibi videaris*. Quod quidem, græco verbo usus, ἀπονομίαν voluntatis appellavit. Verum hac voce non tantum sui juris esse voluntatem, propriamque ac peculiarem, cui ipsa subjiciatur, legem in se habere significavit, sed ipsam etiã per se legis auctorem esse, ita ut legifera dici possit, nec quidquam aliud, cum legem ferat, quam se ipsam sequatur, quæ, cum in omnibus eadem sit, eadem et omnibus imperet, oporteat. Sed tertium illud præceptum ad explicanda officia non valet, nec illud Kantius ipse in hunc usum adhibuit. Cum ad tertiam illam, quam indicavimus, quæstionem exsolvendam, ad fundamentum scilicet officiorum pertineat, illud deinceps scrutabimur. Nunc vero cur illam, quam secundam posuimus de officiis quæstionem explanare tentanti Kantio res minime cesserit, quærendum esse nobis videtur.

Supremam illam legem, de qua jam multa ante diximus, præsertim in prima hujus disputationis parte, ex qua omnia officia, omnia jura, omnes denique virtutes oriuntur, supra sensus, voluptates, studia affectusque, quæ quidem omnia cum unoquoque nostrum mutantur,

sitam esse mire admodum comprobavit Kantius; quin etiam illam propriis iisdemque insignibus notis distinguit, eadem scilicet semper omnibus hominibus imperare et nos tali imperio devincire, ut illam non sine dedecore et flagitio detrectare possimus, planum et manifestum fecit. Sed quum legis, ut illius verba usurpem, materiam introspicere atque definire quid sit officium aggreditur, quia ipsam hominis naturam respicere omnino recusat, frustra præcepta aggerat, nihil nisi fumum invenit; nubes tantum et inania captat.

Si quis enim illam legem, quæ omnium officiorum quasi fons et origo est, et omnibus eadem semper et summa cum auctoritate imperare nobis approbaverit, id est, si formam illius atque, ut ita dicam, exteriorem speciem descripserit, non ideo tamen habebit unde quid cuique quodam certo tempore faciendum, quidve vitandum sit, definire queat; hoc enim tantum posuerit, quidquid uni aut alteri agendum sit, illud et omnium cuique agendum esse. Sed quid cuiquam in quodam certo vitæ articulo agendum sit, non isto modo compertum habebimus. Idem enim, ut jam supra protulimus, de honesto ac de vero dici potest. Ut enim quod cuiquam verum est, idem et omnibus verum habendum sit, nec tantum hominibus, sed cunctis, si quæ sunt aliæ alicubi, mentibus necesse est; ita, si quid cuiquam honestum est, idem honestum esse non tantum hominibus,

sed et cunctis, si quæ sunt alicubi aliæ, voluntatibus, naturis scilicet intellectum arbitriumque sortitis, iudicandum est. Sed cum de vero ac de scientiis agatur, non satis erit si quis eadem omnibus esse vera noverit, ut qualia omnia ista sint definire possit, ut siderum scilicet magnitudines et motus, terræ commutationes, genera plantarum et animantium, gentium vices describat, omnes denique doctrinas ædificet; sed et illi rerum natura et oculis, et mente erit observanda. Sic cum de officiis agatur, ut qualia sint illa hominum quaque in conditione officia dignoscere possimus, honestatem omnibus voluntatibus eandem esse novisse non satis erit, sed et naturam hominis societatisque, et rerum ipsarum vices attente considerare debebimus.

Quod quidem quia omisit noster, etsi acutissimi ingenii fuerit, minime quod optaverat assecutus est. Sed ad illam sententiam, falsa quadam ratiocinatione usus et intimo quodam errore deceptus, adductus est. Non enim quia quidquam quasi rectum habemus, nobis agendum esse, aut quia pravum, nobis esse vitandum iudicat Kantius; sed quod aut agendum aut vitandum esse nobis affirmat, esse illud ideo aut rectum aut pravam arbitratur. Sic enim sententiam suam expressit: « Hoc loco e re erit, paradoxon viæ et methodi enodari in critica rationis practicæ: scilicet conceptum boni malique non ante legem moralem (cui, ut videtur adeo

fundamento deberet substerni), sed modo (quod et hoc loco fit) ex ea per eamque determinari oportere (1). » Nos contra quia quidquam rectum pravumve existimamus, aliquid et nobis agendum esse aut vitandum ducimus, neque in eo vanam esse cavillationem aut subtiliores argutias putamus. Nempe si quis officia ex eo quod aliquid tanquam rectum prius perspexerit, oriri crediderit, quum illud quod rectum appellat, considerabit atque, ut ita dicam, subtiliter excutiet, viam inveniet, qua omnia officia explicare ac definire poterit. Sin autem officium veluti nescio cujus rationis imperium esse duxerit, nihil aliud nisi inania præcepta, quæ non ad vitæ humanæ usus pertineant, inde colligere licebit.

Cur autem præcipua et summa atque, ut ita dicam, necessaria illa judicia, quæ de officiis instituere solemus, hunc in modum inverterit Kantius, si plane novisse volumus, quam sibi virtutis imaginem finxerit, considerandum est. Hæc vero kantiana virtus non tantum ex affectibus non pendet, quod equidem verum esse censeo, sed et eam ipsam vitiatam, invalidam ac prope nullam esse judicat, nisi ab affectibus omnino sejuncta fuerit. Ea tantum conditione officium esse potest, si merum rationis imperium, ab omni sensu remotum, se-

(1) F. G. Born, *Critica rationis practicæ*. — J. Barni, p. 229-250.

quamur. Quod si quid tanquam rectum ponere cœpisset noster, ut inde quid agendum nobis sit, quid non, colligeret, finem sane quemdam nobis proposuisset, ad quem variis affectibus impelli, quemque adamare potuissemus, ita ut non jam soli rationi, sed et affectibus ipso in officio parere videremur. Ea est causa cur quaestionem inverterit atque paradoxon, ut ipse dixit, instituerit. Sed illum falsa imagine delusum fuisse, si rem attente animadvertas, facile invenies. Nempe non ita se habet vera virtus. Non tantopere se fastidiosam præbet. Quoties enim aliquid agimus, sensu quodam amoris vel in nosmetipsos, vel in alios, vel in parentes, vel in liberos, vel in amicos, vel in cives, vel in universum hominum genus, vel in animalia, vel etiam in Deum ipsum movemur; nec ideo virtus abest aut minuitur, cum illud satis sit, si sequamur sensum, qui cum ratione congruat. Quod quidem non vidit Kantius, ideoque homini omnino asperam atque abruptam virtutem, nec cum humanis affectibus conjunctam, sed contra cum illis repugnantem proposuit. Unde factum est ut neque diversa hominum officia describere, neque omnino fundamentum officii, quod postea explicabimus, definire potuerit.

Sed res altius repetenda est, ut ipso quasi in fonte omnes, quibus fuerit corrupta ac depravata Kantii de officii doctrina, errores deprehendamus. Quum varias

intellectus partes antea descripsisset, formas quasdam, quæ a Platone *ιδέαι* et ab Aristotele *κατηγορίαι* vocatæ fuerant, invenerat, easdemque enumerare conatus erat. Quas quidem neque e sensibus, neque ex ulla prorsus experientia oriri existimavit; sed contra per illas omnia quæ vel externis sensibus, vel interiore illo sensu, quo nosmetipsos sentimus, percipere possumus, nos dispo- nere, tractare, ac denique comprehendere atque intelli- gere arbitratus est. Quum autem ex ipso intellectu ad voluntatem transivit, tale aliquid invenire enixus est, formam scilicet omnino meram, a sensibus sejunctam, quæ tamen sensus, cupiditates, affectusque regat, quam- que *imperativum categoricum* vocavit. Ob id igitur præcipue in hunc errorem adductus est, quod plus æquo sibi constare aut potius sui ipsius similis fieri et per- manere, et quam speciem de intellectu doctrinæ suæ indiderat, eandem rursus suæ de voluntate doctrinæ adhibere voluit. Sic immodico simplicitatis atque, ut ita dicam, *symmetriæ* studio delusus fuisse mihi videtur.

Sed nunc, quoniam kantianam de illa quæstione phi- losophiam satis refellimus, aliquam aliam proferamus disciplinam, quoad poterimus, oportet, quam verio- rem esse judicamus, quamque firmioribus tueamur argumen- tis. Ut vero hujus exsolvendæ quæstionis viam inve- niamus, facinora quædam, quæ vel bona, vel prava ab omnibus aut tantum a plerisque habentur, considerare

et qua de causa illa vel prava, vel honesta existimata sint, exquirere debemus.

Primum autem illis officiis, quæ sunt uniuscujusque erga se ipsum, quæque ad singulos pertinent, attendamus. Ebrietatem, verbi causa, sumamus. Unde igitur fit, ut inebriari pravum sit? Cur vinolentia vitium appellatur? Hanc, nisi fallor, rationem subjicere est: vita illa quæ vere humana est, quam scilicet hominis propriam ac peculiarem esse dicas, in cogitatione præsertim versatur, qua homo sejungitur a bestiis. At cogitatio cum bono habitu corporis est conjuncta, nec in temulentia viget, at contra languescit ac perturbatur. Si quis igitur se vino tradere solet, naturam suam dignitatemque corrumpere, hominem veluti dediscere atque ipsis bestiis se inferiorem præstare videtur. Ea igitur causa est cur ebrietas, vel sola ejusquæ in se ipsum officia consideranti damnanda sit. Hinc autem præceptum instituere possumus, servandam scilicet naturam dignitatemque hominis esse, uno verbo, humanitatem. Sunt quædam conditiones, quibus vel omissis, vel neglectis, vel mutatis, vita humana neque sustineri, neque augeri, neque, quantum licet, absolvi atque perfici potest; quas conditiones retinere debemus; hæc est omnium, quibus singuli in semetipsos obligantur, officiorum origo. Sed quomodo has conditiones, id est officia nostra, novisse poterimus? Naturam non tantum animi, sed et corporis

scrutando ; quod quidem sola fieri potest experientia, et longissime a Kantii doctrina abhorret.

Verum non jam singulos separatim homines, sed societate conjunctos si respiciamus, idem fere inveniemus.

Plurimi autem sunt quasi societatis gradus ; est enim prima illa societas, naturæ proxima, quam connubium aut matrimonium vocavere, qua vir et femina conjunguntur, ut se mutuis affectibus, curis laboribusque tueantur, ut liberos suscipiant, alant, educant eosdemque diligant, ut sint eadem mente ac voluntate eundemque finem sibi proponant, ut denique unus animus ex duobus fiat corporibus. Hæc autem societas ea tantum lege stare, vigere ac florere potest, si uterque conjux certam agendi rationem adhibuerit ; quidquid enim ab alterutro actum erit quod sit contra societatem, idem et contra officium fiat oportebit. Cur enim adulterium admittere nefas haberi debet, nisi quod ipso adulterio conjugium dissolvitur ? Cætera autem quæ ad domesticam societatem pertinent, eadem ratione expediri queunt. Unde illud præceptum haurire possumus, conditiones esse retinendas, velut totidem officia, quibus opus esse videatur, ut domus stare, vigere ac florere queat ; quas quidem conditiones experientia rerum, viri scilicet, mulieris puerorumque cognitione definire poterimus. Cæteræ autem, quæ de connubio agitari solent, quæstiones eodem modo exsolvantur, quum scilicet disputatur an nuptias dirimere

aliquando fas sit, vel qua de causa; qua ætate in matrimonium ire liceat; cur nuptias inter fratrem sororemque contrahi tanquam flagitium ducatur; quid sit stuprum. Hæc autem atque talia nemo solvere poterit, nisi inspexerit naturam ipsam hominum.

Alia autem est, et quidem latius patens, hominum inter ipsos societas, quam civitatem vocamus; cujus quidem non homines tantum singulos, sed privatas etiam domus et familias partes esse dixerim. Ea vero non jam ex sexuum differentia, sed ex variis hominum utilitatibus diversisque studiis nascitur. Ejus principium et quasi vinculum est eandem plerumque originem eandemque linguam habere; eandem incolere regionem; iisdem allici ac teneri commodis ac sæpe ab hostibus vexari iisdem. At illa ipsa societas, neque stabit, neque vigebit, neque florebit, nisi certam vivendi rationem cives usurpaverint. Sunt enim, ut jam supra indicavimus, quum de domestica societate agebatur, conditiones quædam, quas neque omittere, neque mutare, salva republica aut florente civitate, omnino licet. Hinc manant omnia civium aliorum adversus alios officia juraque civilia; quas quidem conditiones nisi ex natura usuque societatis novisse nemini licebit. Ita igitur quid nobis sit faciendum, quid vitandum, quid scilicet hominibus in societate civili sit honestum, quid non, ex ipsa rerum humanarum experientia cognoscemus.

Alia denique est hominum, populorum scilicet inter se invicem societas, quæ latissime patet; quippe quæ totum humanum genus amplectatur, cujus vincula sunt, ut ait optime M. Tullius, ratio et oratio. Quo quidem, cum sit adhuc parum stabilis ac bello sæpius dirimatur, cumque non omnes gentes contineat atque jungat, ut firmior in dies fiat longiusque extendatur, curare debent gentes, vel potius ii qui gentibus præsent; quæ autem ad illum finem assequendum necessaria esse ratio declarat, eadem esse facienda judicamus: inde omnia gentium officia et jura, quæ sola rerum experientia, ut sint, ut fuerint, noveris.

Ex his igitur, quæ retulimus, colligere possumus, esse certas aliquas conditiones, quæ ex humana voluntate ac plerumque potestate pendent, quibus omissis aut mutatis, ipsa, ut ita dicam, humanitas neque in singulis hominibus, neque in domo, neque in civitate, neque in communi gentium societate, aut stare, aut vigere, aut florere potest. Has servare et quasi vereri debemus; hoc rectum, æquum, honestumque est; inde oriuntur omnia hominum officia, omniaque jura. Has autem, quum sola rerum humanarum observatione cognoscere liceat, et illa ipsa observatione experientiaque, ut quid sit rectum, æquum, honestum, quæ sint officia nostra juraque definire possimus, opus esse satis liquet. Honestas igitur nihil aliud est nisi illius ordinis

reverentia, citra quem vita humana, quum illam in universis consideras, neque sustineri, neque augeri, neque ad summum procedere potest.

Lex autem illa, quæ et singulos separatim homines et domos, et civitates, et universum genus humanum regere debet, cum illis naturæ legibus, quas fingere solent physici, mire congruere mihi videtur. Sunt enim suæ leges sideribus, plantis et animalibus, quæ si turbarentur, omnia sane corruerent, quas ex ipsa naturæ rerum observatione colligunt, quasque paulatim perspiciunt; in quibus etiam dignoscendis sæpissime errant, ita ut inter veteres recentesque plerumque minime conveniat. Ita vero se habet lex illa, quæ homines regere debet; quamquam homines plerumque de officiis consentiunt, fit aliquando tamen ut de honesto atque inhonesto dissideant, atque sæpius magnopere erraverint. Nonne enim fere omnes apud veteres jure in servitute homines teneri posse existimaverunt? Nonne et nostra quoque ætate plurimi sunt qui eidem sententiæ faveant?

Sed id maxime interest inter hanc, quam ipsi nos sequi debemus legem, atque illas, quas naturæ leges vocamus quibusque eam parere fingimus. Nempe inanimata, ut sidera, et animantia, ut pecudes, instinctu cæco duci ac regi videntur; quod quidem imperium, quasi fatum, nullo modo detrectare queunt. Homines vero legem, qua obligantur, sæpe perfringunt aut violant,

quia, quid sit rectum, non satis intelligunt, aut quia cupiditatibus nimis indulgent; quippe ut illi legi pareant, intellectu ac voluntate hominibus opus est. Sed quamvis hunc in modum illæ leges, quibus res obnoxiae sunt, et illæ, quæ homines regere debent, inter se differant, eo tamen omnino consimiles sunt, quod utrasque, hinc siderum, plantarum et animantium, hinc hominum ipsorum, observatione et experientia novisse tantummodo nobis licet.

At enim, quum sæpius lex illa, cui obedire debemus, perfringatur, et officia juraque quotidie conculcari soleant, quumque toties ab honestate plerique discedant, quomodo ex ipsa rerum humanarum experientia, quid sit lex, quid officium, quid jus, quid honestas, haurire poterimus? Leges sane, quibus naturam parere fingimus, ipsa naturæ observatione cognoscere possumus; nempe quum illa semper eadem agat, ut eas leges perspiciamus, satis erit, si natura, qualis sit, intueamur. Sed res non eodem modo se habet, quum de hominibus agitur; quippe si hominum vitam seu in te, seu in aliis inspexeris, honestum inhonestumque juxta invenies, atque rationem aliquam aliunde sumptam, ut illa discernas, prius habueris necesse erit.

Res, equidem fateor, ita se habet. Sed ex hoc tamen non recte inferas nos, quid sit officium, novisse omnino non posse. Nempe quum res humanas contempleris,

qua conditione vel in singulis, vel in domo, vel in civitate, vel in universa hominum societate vigeant et floreat facile perspicies; ac fere idem fit quod in medicina evenire solet; quippe medici bonam valetudinem a morbo distinguunt, et qua de causa corpora valeant aut ægritudine laborent, sola rerum observatione dispicere possunt.

Illam autem, quam instituimus, viam discernendi quid honestum sit, quid non, in quolibet rerum articulo, cum hac præcipua honestatis nota quam præsertim illustravit Kantius, honestatem scilicet eandem omnibus esse atque eadem omnibus imperare, omnino congruit. Nam quum illa vivendi ratio, quam æquitatem appellamus, ex ipsis conditionibus, citra quas humanum genus nec stare, nec vigere, nec florere possit, constet, eandem hanc omnibus hominibus esse satis liquet.

Quam quidem ad sententiam prope accedit ipse Kantius, quoties de illo ordine, quem *Regnum finium* vocat, quemque cum naturali mundi ordine comparat, disserere tentat. Sed quamquam experientiam ut illum naturalem ordinem cognoscamus valere existimat, minime ut hunc rerum humanarum ordinem perspiciamus, eandem valere arbitratur; in quo vehementer erravisse mihi videtur.

III.

DE OFFICIORUM FUNDAMENTO, APUD KANTIUM.

Verum alia est quæstio, ut supra indicavimus, quæ de officiis tractanti tertia occurrit. Postquam enim et officium esse, et quid sit officium vel potius qua ratione uti debeamus, ut quid officium sit in quoque rerum articulo definire queamus, manifestum satis factum est, hoc quoque quærendum superest, cur quidquam officii titulo nobis impositum sit, atque illa lex, quam supremam vitæ normam ducimus, tanta cum auctoritate nobis imperet, ut illius imperium, salva hominis dignitate naturæque nostræ excellentia, imo non sine dedecore et flagitio detrectare possimus. Nunc autem quid de hac ardua disputatione senserit Kantius, nobis est considerandum.

Hunc autem nodum plane cognovit et liquide his

verbis indicat : « Quid autem causæ est cur isti principio memet et quidem ut naturam rationalem in universum debeam, proinde eo quoque universas alias ratione præditas naturas in universum subjicere? Concedam nullo ad id invitamento *impelli*, ex quo quippe nullus imperativus categoricus existeret, verum tamen ex eo mihi invitamentum quiddam *capiendum* erit, et quomodo istud fiat, perspiciendum (1). » Atque infra : « namque haud idonei quidquam ei possemus respondere qui nos interrogaret, curnam universalitatis normæ nostræ, ut legis, esse conditio debeat ad quam actiones nostræ astringantur, atque in qua pretium constituamus, quod huic agendi modo attribuimus, quod tantum esse debeat, ut nullam omnino altius queat invitamentum esse, quaque fiat ut eo solo dignitatem suam credat persentiscere, qua cum dignitas jucundi status, vel injucundi comparata pro nihilo reputanda videatur (2). »

Optime igitur controversiam instituit Kantius; sed quo pacto illam dirimere conatus sit, perpendamus.

Quantum homo cæteris animalibus præstet, quam nobilis, quamque excellens sit illius natura, nemo tam

(1) F. G. Born, *Constitutio metaphysicæ morum*, sect. II, t. n. — J. Barni, p. 102-103.

(2) F. G. Born, *Constitutio metaphysicæ morum*, p. 529. — J. Barni, p. 103-104.

bene intellexisse mihi videtur, quam noster. In omnibus enim quæ de officiis scripsit, præsertim in illo libro, cui titulus est *Critica Rationis practicæ*, nescio quem humanæ dignitatis sensum et quasi spiritum invenias, qui, quamvis sæpius verborum ambiguitatibus vel ipsarum sententiarum tenebris opprimatur, aliquando tamen erumpit atque aliquid virile animis affert, eosdemque erigit atque extollit. Quin etiam illam humanæ naturæ præstantiam dignitatemque non sine eloquentia expressit. Quid enim præclarius, quid eloquentius, quam ille epilogus, in quo hominem, si quando oculos ad infinita cœli spatia stellasque innumeras verterit, se debilem ac tanta mole obrutum, sin autem semetipsum intus inspexerit, illiusque legis speciem invenerit, ex qua officia, jura, virtutesque oriuntur, sese tantis illis siderum magnitudinibus superiorem esse sentientem ostendit? Sed dignitatem humanæ naturæ ex ipso officio, non officium ex ipsa humanæ naturæ dignitate pendere jure existimat.

Præterea illa lex suprema, cujus in nosmetipsis speciem reperimus, nos quadam sui reverentia movet, ad se trahit atque allicit. Quod quidem non tantum vidit, sed et illustravit Kantius. Sed hæc reverentia ex eo oritur quod ipsa jam per se lex sacrosancta est, neque ideo officiorum fundamentum haberi potest.

Quum autem ex ipso officio supremum mundi aucto-

rem esse, Deum scilicet, collegerit, officia Dei imperia mandataque haberi posse judicat. Sed non tamen in ipsa divina voluntate officiorum fundamentum posuit, quum officium prius quam Deum ipsum cognoscamus necesse esse duxerit. « Jam vero, inquit, eo intelligi nolumus, sumptionem existentiae Dei, ut rationis causæque omnis obligationis necessariam esse (hæc enim, uti satis evicimus, tantummodo posita est in autonomia rationis ipsius) (1). »

Id enim esse officiorum fundamentum Kantius arbitratur, quod, græca voce usus, *αὐτονομίαν* voluntatis appellavit. Sed quid sit illa *αὐτονομία*? plurimis in locis definitum invenimus: « Ergo honestum sive moralitas cernitur in relatione omnium actionum ad legislationem, qua sola fieri poterit, ut regnum finium exstet. Hæc legislatio vero in quaque natura rationali, necesse est, deprehendatur, ex ejusque possit voluntate exsistere, cujus proinde principium erit; ut nullam actionem suscipiat ad ullam normam aliam, quam sic ut cum ea possit consistere legem eam universalem esse, ideoque solum ita, ut *voluntas per normam suam se ipsam simul queat ut universe legislatoriam spectare* (2). » Et paulo infra: « Autonomia voluntatis

(1) F. G. Born, *Critica rationis practicæ*.—J. Barni, t. III, p. 354-355.

(2) F. G. Born, *Constitutio metaphysicæ morum*, t. II.—J. Barni, p. 79.

cernitur in ea voluntatis qualitate qua illa sibi ipsa (ab omni rerum volitioni subjectarum qualitate libera) lex est. »

Homo igitur neque sensibus, neque affectibus parere, neque dolori aut voluptati, sicut cætera animantia, inservire debet, nisi se inferiori atque alieno juri, quod græco nomine *ἑτερονομίαν* vocavit, obnoxium præbere velit, sed contra propriæ et peculiari legi, rationi scilicet, obtemperare. Hanc vero legem, quæ sacrosancta est, quæque omnibus mentibus venerationem sui penitus inculit, homo ipse sua voluntate constituit; ita ut illius voluntas per se legifera dici possit. Quum igitur huic legi paret, sibi ipsi paret; quum rationem sequitur, se ipsum sequitur, quia rationem ipse, ut ita dicam, efficit, quæ nihil aliud nisi ipsa voluntas affectibus libera et vacua esse videtur; homo officiorum, quibus ipse devincitur, auctor est. Inde excellentia naturæ humanæ et dignitas; inde etiam officiorum fundamentum. Quod quidem hunc in modum noster expressit: « Ex his quæ modo disputavimus, facile poterit enodari, qui fiat, etsi in conceptu officii subjectionem sub legibus cogitemus, eo tamen nobis simul quamdam excellentiam dignitatemque in ea persona quæ cuncta servat officia, representemus. Namque nulla prorsus excellentia inest, quatenus subjecta legi morali videtur, sed sane quidem quatenus respectu ejusdem simul legis-

latoria est, et solum propterea illi subordinata. Supra etiam docuimus, neque in metu, nec propensione, sed in sola legis observantia, eum elaterem versari, qui actioni possit pretium morale impertire. Propria voluntas nostra, quatenus solum cum adjunctione legislationis universalis per normas suas possibilis, res proprie est æstimationi subjecta, dignitasque humanæ naturæ in hac ipsa consistit facultate universe leges ferendi, quanquam cum hac adjunctione, ut eidem ipsi legislationi simul subjecta videatur (1). »

Eandem fere de officiis doctrinam, quam de jure civili jam antea protulerat unus e clarissimis uovissimæ ætatis scriptoribus J.-J. Rousseau, in ea quam adumbravit perfectissimæ civitatis imagine, expressisse mihi videtur Kantius (2). Ille enim omnem civis dignitatem in eo ponit quod leges, quibus obnoxius est, ipse constituerit, ita ut, quum legibus paret, sibi ipsi pareat, atque nihil aliud, quam quod ipse voluerit, sequatur. In quo sane vehementer errat; nam sæpe fit ut non sibi, sed cæteris vel potius pluribus obtemperet, qui legibus obtemperat, quum leges vel in ejusmodi civitatibus non ex communi omnium voluntate, sed tantummodo ex

(1) F. G. Born, *Constitutio metaphysicæ morum*, sect. II, t. II. — J. Barni, p. 89.

(2) Vid. P. Janet, *Histoire de la Philosophie morale et politique*, t. II, p. 528.

plurium arbitrio pendeant. Verumtamen hæc doctrina saltem intelligi potest; nam leges constituendo, aut propriam utilitatem, aut communem, aut saltem quæ recta honestaque judicaverit, quisque sequitur. Sed non ita se res habet quum de officiis agitur. Tunc enim quomodo fieri potest ut sibi pareat aliquis aut voluntatem suam sequatur? Quid est enim illa mera et sola per se voluntas? Nihil sane quod percipi queat. Est enim voluntas nihil aliud quam facultas ipsa vel cupiditates refrenandi, ut illa quæ utilia duxerimus, efficiamus, vel ipsam utilitatem contemnendi, ut officio fungamur. Quod si cupiditates, utilitatem et officium, quasi extrinsecus positum, removeris, voluntatem ipsam simul sustuleris. Perit enim copia eligendi, quum illa inter quæ eligere queas, jam nulla sunt. Non igitur sola per se esse potest voluntas, nedum ab illa officiorum originem ducere liceat.

Sed quo rem altius prosequemur, illam voluntatis *αὐτονομίαν*, in qua omnium officiorum fundamentum positum esse Kantius affirmat, eo minus solidam inveniemus, ita ut in fumum videatur evanescere.

Quomodo autem officium novisse possumus? In quibusdam rerum articulis aliquid nobis esse faciendum, aliquid contra vitandum judicamus. Satis erit igitur, si in nobismetipsis introspexerimus ut officium esse sciamus, quod quidem rationis tanquam imperium est, quodque

in intima sui cuique conscientia, ut ita dicam, apparet. In quo plurimi kantianam sententiam non satis intellexerunt, quum officium extra illam, quam sui habet animus, conscientiam, in exteriori quadam ratione a philosopho collocatam esse crediderunt. Sed id tantum illo interiore sensu, quo quisque, quid in se agatur, perspicit, legem nobis esse impositam, quæ alia jubeat, alia vero defendat, cognoscere possumus. Hoc vero dubium est, neque ulla experientia vel intima manifestum fit, utrum quidquam solo officii studio unquam actum fuerit. Quod hunc in modum expressit Kantius : « Profecto nullo modo fieri potest ut per experientiam vel de una causa prorsus certo decernatur, cum regula actionis alioquin officio convenientis, solum in rationibus moralibus posita fuit, atque in officii repræsentatione. Etenim nonnunquam quidem accidit, ut in nobismet severissime examinandis nihil quidquam offendamus quod præter rationem officii moralem tam valuerit, ut ad hanc illamve actionem tantamque jacturam faciendam nos moverit; sed inde nullo modo poterit certo elici, reapse nullum prorsus philautiæ stimulum, sola idea illa ostensa, veram voluntatis determinandæ causam fuisse, ubi tum libenter patimur momento nobiliori, sed falso arrogato demulceri; re vero ipsa nunquam penitus possumus occultos illos elateres aperire, propterea quod, cum de pretio mo-

rali sermo est, non de actionibus agitur, quas videmus, sed de principiis illis earum internis, quæ haud conspiciuntur (1). »

Ergo non ipsa experientia aliquid unquam officii causæ factum fuisse affirmare possumus. Quin etiam hoc quoque in incerto est, an quidquam solo officii vel honestatis studio efficere queamus. Hic autem præcipuum esse doctrinæ nodum Kantius arbitratur, quem quum frustra exsolvere tentaverit, nullo modo exsolvi posse tandem fatetur. Ait enim : « Quomodo enim lex per se proximeque esse possit ratio voluntatis determinandæ (in quo quidem consistit essentia universæ moralitatis), quæstio est rationi humanæ inenodabilis, eademque cum hac : quomodo esse possit voluntas libera (2). »

Hanc igitur honestatis imaginem, quam expressit noster, quamque nobis imitandam proposuit neque unquam fuisse usurpatam, neque omnino posse usurpari affirmare sustinet. Et recte quidem officiorum fundamentum neque in terra, neque in cœlo a se positum esse prædicat, quippe quod in nubibus ipsis, ubi non possit stare, posuerit. Unde illud quoque apparet, quam vehementer erraverit, quum ex tali officiorum constitutione,

(1) F. G. Born, *Constitutio metaphysicæ morum*, sect. II, t. II. — J. Barni, p. 55.

(2) F. G. Born, *Critica rationis practicæ*, t. III. — J. Barni, p. 246.

et hominis arbitrium liberum esse, et vitam immortalē et Deum supremum mundi auctorem existere, se comprobavisse arbitratus est.

Sunt et alia argumenta quibus illam, quam instituit, honestatis formam omnino vanam atque inanem esse ostendere perfacile est. Unum tantummodo referam. Sæpissime autem de perfecta quadam ac divina voluntate, quam ipse sanctam appellat, Kantius disserit, quæ, neque sensibus, neque affectibus obnoxia, soli rationi natura, sine certamine ac veluti sponte sua obtemperat. Sed si sensus cupiditatesque removeris, illa kantiana ratio jam nulla est. Nihil enim aliud est quam forma, quæ ad refrenandos affectus forsā valet, sed quæ nullum voluntati finem assequendum proponit; quæ, si sola est, omnino perit. Quod quidem satis liquet ex ipsa kantiani præcepti constitutione: hanc vitæ normam sequere, quæ omnibus vitæ norma haberi queat. Unde apparet nos, Kantio quidem iudice, affectibus tantum et utilitatis aut propriæ, aut communis studio, ad agendum aliquid adduci. In eo enim omnis rationis vis consistit ut affectibus resistat; sed solis ipsis affectibus fit ut aliquid agamus. Quid autem sit ratio citra affectus sensusque omnes, quid sit ideo voluntas soli rationi obnoxia, non intelligi potest.

Ex his igitur, quæ diximus, satis constare videtur non magis quum officiorum fundamentum constituere quam

quum officium ipsum definire tentaverit, Kantio rem bene cessisse. Nunc vero de eadem quæstione nobis aliquid verius, si possumus, indicandum esse arbitramur.

Hoc enim primum in quo, ut supra diximus, noster vehementer erravit, demonstremus oportet, affectus scilicet, quamvis tanquam officiorum fons et origo duci nequeant, arctissime tamen cum officiis esse conjunctos, ita ut illis recta vivendi ratio quodam modo sustineri videatur. Quippe si primum illa cujusque in seipsum officia consideremus, quæ postulant ut prudentiam, fortitudinem, temperantiam, proprias scilicet peculiariæque hominis dotes excolamus, illa ipsa officia, cum eo amore, qui cuique in seipsum a natura ingeneratus est, conjuncta esse inveniemus. Quid enim aliud facimus, cum talibus officiis fungimur, nisi illa vita, qua cæteris animalibus præstamus, et quæ vere humana est, vivimus atque fruimur? Qui vero istius modi officia abnuat ac rejicit, qui seipsum a cupiditatibus regi quam illas regere mavult, quid aliud facit quam se homine inferiorem declarare, se bestiis æquare, a natura sua desciscere, atque dediscere dignitatem suam? Quis est autem qui tale aliquid ferat, dummodo se amet, nisi hebeti atque pingui omnino sit ingenio aut infirma voluntate? Ergo ex ipso sui proprio amore ad explenda officia, quæ ad ipsum spectant, aliquid adjumenti cuique quærere licet.

Quod si ad domesticam societatem transeamus omnia officia, quæ ex illa nascuntur, in conjugum vel inter se vel in liberos amore subsidium habere reperiemus. Idem etiam fit de societate civili; omnia officia civium inter se ipso patriæ amore firmantur et corroborantur. Denique si illud cunctarum gentium consortium respicimus, ad omnia officia, quæ inde oriuntur, illa ipsa, ut verba M. Tullii usurpem, generis humani caritate, homines allici videbimus.

Sed præsertim hoc animadvertendum est illos omnes affectus, dummodo ordinem ipsum qui inter eos ex natura constat, servemus, mire inter se congruere. Nempe officia omnia arctissimo inter se vinculo juncta esse dicas. Domestica enim officia illas ipsas virtutes, quæ ex humana dignitate pendent, quibusque homines a bestiis sejunguntur, prudentiam scilicet, fortitudinem temperantiamque requirunt, ita ut illi domestici affectus minime cum eo proprii amoris munere, quod ad dignitatem hominis asservandam spectat, repugnare videantur. Idem vero de patriæ amore dici potest; cum illis domesticis affectibus non repugnat, quum non tantum peculiare, civiles scilicet, sed et domesticas virtutes postulet. Quod idem etiam intelligendum est de caritate generis humani atque de illa latissima hominum inter ipsos societate. Ita igitur se res habet: qui proprias hominis dotes excolit, vita, quæ sola ho-

mine digna est, fruitur; qui domesticis fungitur officiis, novas virtutes majoresque acquirit, novum vivendi genus amplectitur, novamque dignitatem illamque nobiliorem adipiscitur; qui civilia officia civilesque virtutes usurpat, ad ampliorem etiam vitæ conditionem dignioremque illa ipsa, quæ tantummodo ex officiis domesticis constat, se erigit; qui denique latissimæ illi hominum inter ipsos societatis utilitati se devovet (quod quidem non omnibus datur), illam vita amplissima et dignissima vivere jure dixeris. Quis est autem, dummodo satis eruditus sit ut illa intelligat, qui tale vivendi genus, talemque sibi propositam dignitatem recuset?

In affectibus igitur invenire est auxilium quoddam ad explenda officia, in iisdem autem non vera ac præcipua ipsorum officiorum fundamenta reperias. Quod autem vocamus honestum, quodque omnium officiorum originem ducimus, nihil aliud est, nostra quidem sententia, quam illa lex qua et homines singuli, et domus, et civitates, et totum humanum genus vigere ac florere potest; quæ quidem illius supremæ legis qua cuncta perstant ac permanent, aut certo ordine mutantur, pars dici potest. Sed illa lex universa, quum Dei ipsius lex habeatur necesse sit, quam rebus ipsis imposuit, infinita et æterna est. Quum igitur aliquis illi legi paret, vita, quantum mortalitas patitur, universa, æterna, infinita ac vere divina fruitur. Quod si Deum illum, cum uni-

versa mundi mole mixtum et confusum esse non ducimus, ita ut eadem vita atque natura ipsa vivat, sed ab ista natura, cujus auctor sit, sejunctum ac propria vita viventem arbitramur, qui officiis fungitur, ipsius divinæ mentis, divinæ voluntatis, imo vero divini quasi operis fit particeps. Unde facile apparebit cur officium ipsum, quamvis refrenet affectus, voluptates plerumque removeat, dolorique ipsum hominem objiciat, eundem nihilominus extollat et tantam ei conferat dignitatem.

EPILOGUS.

Omnes præcipuas, quæ inter philosophos de officiis disputationes agitari possunt, ad triplicem quæstionem redegimus; primo esse officium, quod non ex propria cujusque, neque ex communi omnium utilitate pendeat, sed tantum ex honestate illa, quam mente sola cernimus; deinde quid sit officium, vel potius qua ratione certa, quid sit honestum, quid non, definire queamus; denique quo in fundamento officium ipsum nitatur, demonstrandum esse judicavimus. De prima autem quæstione, doctrinam jam a plurimis adumbratam philosophis, quamque veram omnino existimamus, præclare nobis absolvisse Kantius visus est, quamvis tamen generosos illos affectus, qui in cujusque pectore quoquo modo vigent, ab illo ipso amore, quo quisque in se ipsum indulget, non satis sejunxerit. Sed quum secundam quæstionem exsolvere tentaverit, rem germanico philosopho, etsi acutissimi ingenii fuerit, non bene cecisisse manifestum fecimus. Nempe non tantum ambigua sed prorsus inania, ut quid sit rectum in quolibet rerum articulo definire posset, instituit præ-



cepta, quibus ipse in illis exemplis, quæ ad explanandam suam ipsius doctrinam elegerat, plerumque non usus est; cujus quidem erroris causas indicavimus. Quum autem tertiam enodare quæstionem conatus sit, non minore etiam versatum in errore Kantium deprehendimus. Quippe cum principium fundamentumque officiorum, in eo, quod vocavit *αὐτονομίαν* voluntatis, in mera scilicet voluntate posuerit, nihil sane quod intelligi queat, exprompsit, quia voluntas ipsa, citra omnes sensus affectusque, omnemque rationem jam nulla sit.

Postquam autem kantianam doctrinam de discrimine recti pravique et de officiorum fundamento et secum, et cum sententia omnium communi repugnare demonstravimus, ita ut in illa minime standum sit, aliam attulimus disciplinam quæ magis sibi constare neque a communi sensu nobis videtur abhorrere, quamque ideo veriore esse existimamus.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. D. x. kal. sept. ann.
M DCCC LXI.

Facultatis litterarum in academia parisiensi Decanus,

J. VICT. LE CLERC.

Typis mandetur :

Pro Rectore,

Academiæ Parisiensis Inspector,

FILON.

TABULA.



Prooemium.	1
I. — De honestate apud Kantium, quantum distet vel a propria cujusque, vel a communi omnium utilitate. . .	3
II. — De discrimine recti praviq̄ue apud Kantium.	12
III. — De fundamento officiorum apud Kantium.	47
Epilogus.. . . .	61



THE
MUSEUM
OF
THE
SMITHSONIAN INSTITUTION
WASHINGTON, D. C.

111
112
113
114
115
116
117
118
119
120
121
122
123
124
125
126
127
128
129
130
131
132
133
134
135
136
137
138
139
140
141
142
143
144
145
146
147
148
149
150
151
152
153
154
155
156
157
158
159
160
161
162
163
164
165
166
167
168
169
170
171
172
173
174
175
176
177
178
179
180
181
182
183
184
185
186
187
188
189
190
191
192
193
194
195
196
197
198
199
200

